

DE
OSCVLIS VETERVM, QVIBVS AMICORVM EX
HAC VITA DISCESSVM PROSEQVEBANTVR
PAVCA PRAEFATVS

PATRES SCHOLAE OMNESQVE MANSVETIO-
RVM MVSARVM PATRONOS

AD
SOLENNEM PANEGYRIN

VIRO

PRAECLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
JO. CHRISTIANO
WIRTHGEN

CONRECTORI MERITISSIMO

PROVINCIA SCHOLASTICA AVSPICATO JAM ABEVNTI

D. XXI. SEPT. A. R. S. CIO D CC LI.

H. L. Q. C.

DICATAM

NEC NON AD

JVVENES ALIQVOT BONAE SPEI AC NOTAE

BENEVOLE AVDIENDOS

EA, QVA PAR EST, OBSERVANTIA

INVITAT

M. ANDREAS CHRISTIANVS CLEEMANNVS
RECTOR.

DRESDAE, LITERIS HARPETERIANIS.

Coll. diss. A
20, 43

a. XX. 43.



Quemadmodum singulari semper religione fato perfunctorum manes profecuta est superstitiosa antiquitas quod inferiæ publica indictione constitutæ, ἐντάφιος & munera sumtuosa, parentalia, silicernii quoque nomine clara, ossuaria adfabre cælata, viscerationes aliaque funerationis ac pompæ funebris instituta satis superque testantur: ita tum maxime amicis sibi que conjunctis cognatione præclara pietatis suæ præstabant officia, cum agerent fere animam, nec prius eosdem ex amplexu dimittebant, quam extremum efflaverint halitum. Pio hoc affectu commotus jam apud Euripidem in Medea Creon exosculatus est filiam morituram, & apud Romanos, a) teste Suetonio, summus imperii moderator Augustus non nisi in complexu suavissimæ Liviæ suprema inter oscula placide discessit, quæ frigida inde & inanima dicuntur. Ne jam ad alia pio ore suorum animas corpore hoc egressuras legentium exempla provocemus. Qui singularis moribundos exosculandi ritus licet tam græcis & romanis, quam antiquissimis Judæorum patribus ac primis etiam christianæ civitatis civibus solennis fuerit & usitatus: non tamen est, quod arbitremur, uno eodemque consilio ac affectu hoc pietatis officium omnes esse executos, quod ex iis, quæ dicturi sumus, patebit luculentius.

Singulare hujus rei exemplum apud Judæos posteris reliquisse videtur b) Josephus, qui patrem ex hac vita discedentem pie exosculatus ejusdem super ore lacrimis & comploratu acerbissimum animi sui dolorem, quem ejus ex obitu cepit, nec non pietatem declarabat.

a) v. ejus vitam in Sueton. c. 89.

b) v. Gen. C. 50. v. 1.



bat. Cum enim osculorum usus genti huic tam facer esset, tamque religiosus, ut iisdem & c) propensam erga alios voluntatem et summam principi reverentiam indicarent, quo consilio d) Dei filium, monente Davide vel ipsi homines pii pie exosculantur: mirum omnino non est hunc paternæ probitatis filium pari modo singultus inter parenti moribundo deque se bene promerito eam præstitisse pietatem, quam tum senectuti ejus venerabili, tum virtuti & meritis ad ipsa naturæ præscripta debebat.

Longe detestabiliori ratione ad lectos suorum ferales accedebant, moribundos ut exoscularentur, Græci & Romani variis præjudicatis opinionibus turpiter decepti. De græcis enim constat, quam inepte ac pueriliter perhibuerint, concurrere animas circum labia sese exosculantium, ac per ora ad se invicem festinare mutuam in conjunctionem, quod Gellius e), Macrobius f) Aristenæus aliique testantur, quorum ad testimonia g) Kirchmannus provocat. Ruebant denique eo superstitiosius in morientium amplexus h), quod animas eorum per ora evolare e corporibus ac in primis quasi labris esse arbitrabantur. Quas itaque suorum animas ut apposito halitu exciperent atque in se transferrent, tam diu eosdem complectebantur, donec plane conclamatum esset. Appellat hinc i) Hesychius viros hoc pietatis officio defunctos *Ψυχορόφες* i. e. animam absorbentes, quod perperam de animæ indole, sede & discessu sentientes eandem absorbere dividere ac sibi conjungere hoc ritu voluerint. Id quod parentes quotissimum liberique ac cognatione conjuncti faciebant, quod naturalem sibi animarum conjunctionem cum suis ex se natis intercedere credebant.

A 2

Quod

c) Gen. XXIX, 11. XLV, 15. Exod. IV, 27. XVIII, 7.

d) Psal. II, 12.

e) L. II. c. 2.

f) L. II. Epist. 7.

g) v. ejus libr. de funeribus Roman. L. I. c. 5. p. m. 27.

h) v. Senec. Epist. 30. nec non Kirchm. l. c.

i) Noli tamen confundere ritum hunc *ψυχορόφων* cum *ψυχαγωγία* veterum, qua peregre mortuorum animas factis sacris magno clamore secum in patriam revocare solebant, v. Virg. 6. Æneid.

Quod *Ψυχολόγοι* postea ut multa alia a græcis ad romanos per-
 venit. Haud raro inde k) Virgilius, l) Statius aliique mentionem
 faciunt extremos suorum halitus pio ore legentium atque excipientium.
 Neque vulgus tantum publicam hanc seqvebatur sententiam, sed vel
 philosophorum ipsorum animis infedisse videtur, quod ex variis m) Se-
 necæ locis dilucide cognoscitur. Quum ille enim n) ut omnes fere
 Stoicæ Sectæ seqvaces mortalium animas *ἀποσπασματα* magnæ mentis
 seu mundi animæ esse contendit: haud subobscurè intelligitur, quænam
 hæc animas morientium absorbendi ratio fuerit philosopho. Equidem
 sunt, qui asserere non dubitant, egisse hoc ex veterum sententia plebem
 modo imperitam effeminate, nec viris unquam sed mulieribus tantum
 illud animam legendi officium esse relictum. Tuentur se tum o) Tullii
 eloquentissimi testimonio, qui matri id pietatis in liberos suos tribuit,
 viros contra hoc ritu ac lege solvit; tum Servii etiam auctoritate, qui ad
 locum Virgilii L. IV. *Æneid.* disertè commentatur, Didonis sororem
 muliebriter tantum dixisse, acsi morientis excipere posset animam. Eru-
 dite vero p) Gutherius docet, non modo hunc Servii locum esse inter-
 polatum atque supposititium; sed contrarium etiam suffulsi Pædonis
 verbis in Epicedio de Livia:

- - - - - Nero, tu mea condes
 Lumina & excipies hanc animam ore pio.

Primam forsan occasionem instituto huic osculis moribundos pro-
 seqvendi pium illud nimiumque dedit studium iis succurrendi, qui ani-
 mam agebant, quorum extremos halitus non tam excipere, quam iisdem
 potius inspirare denuo Spiritum ac vitam medicæ artis periti solebant.

Sin-

k) L. IV. *Æneid.*

l) Statii L. XII. *Thebaid.* ubi canit

-- ignem miseræ post ultima quærunt
 oscula -- -- --

m) l. c.

n) Ita Epictetus animas hominum *μέριμναι* η*ς* ἀποσπασματα i. e. particulas & decerpta Dei
 vocat I. *Diff.* c. XIV. & Cicero ex Stoicorum mente ferens sententiam humanum ani-
 mum decerptum ex mente divina dicit L. V. *Tuscul.*

o) in *Verrina* V.

p) v. Gutherii libr. de *Jure manium* L. I. c. XII. nec non Petr. Morestellum de *Pompa*
funerali L. I. c. 2.

Singulari argumento nobis esse possunt, quæ sua q) in Alexandra profert Lycophron vates ille obscurissimus. Paris enim a Philoctete vulneratus, cum jam in eo esset, ut fato atque naturæ concederet, itur ad Oenonem medicinæ peritam, quæ salutis ac vitæ ejus subveniret remediis. Inspira- bat itaque animam in palpitans cadaver desiderio hujus moribundi in- flammata, vitamque ac spiritum restituere quærebat. Sed audiatur ipse Lycophon :

Πύργων ἀπ' ἄρκων πρὸς νεόδμητον νέκυν
Ροιζήδον ἐκβράσασσα κύμβαχον δέμας
Πόδα δὲ τῆς θάνατος ἠγκιστρωμένη
Ψυχὴν περισπαίροντι Φυθήσει νεκρῶ.

Summis e turribus ad recens cadaver
Impetuose corpus præceps projiciens
Mortuique stimolata desiderio,
Animam in palpitans exspirabit cadaver.

Communis præterea apud plerasque bene moratas antiquitatis gen- tes increbuerat consuetudo, ut discedentes blande atque comiter amplexi, non r), prius dimitterent, quam eosdem benigne sint exosculati, eoque amoris Symbolo desiderium aperuerint, quod ex eorum conceperint discessu. Quid itaque mirum, si amicos ex hac vita abituros haud sine dolore ac osculis fecerint missos. Quo quidem nomine non solum Sa- crarum litterarum monumenta s) mortem sæpiuscule vocant abitum, qui ad sepulchri ferat portas: sed adevitandam t) δυσφημίαν vel ipsæ pro- fanæ gentes eadem imagine naturæ dissolutionem excessumque ex hac vita depinxisse videntur. Tanto alacrius ad extrema hæc miserrimaque confugiebant solatia: quanto certius sibi crebro persuadebant, abeunti- bus his æternum illud vale esse acclamandum, nec spem ullam superesse,

A 3

ut

q) Lycophr. ex edit. Potteri p. m. II. itemque Ovidii Epist. V. Heroid.

r) Multa hujus rei exempla in s. litteris invenimus, quod mos ille in regionibus maxi- me invaluit orientem solem versus sitis Gen. XXXI, 28. Ruth. I, 9. 1. Sal. XX. 41. sequ.

s) Esai. XXXVIII, 10. plura V. T. loca collegit Ravanellus in Biblioth. Sacr. p. m. 6. Eodem modo in N. Test. tabulis ἀπέρχεσθαι abire idem ac mori significat v. Gatacke- rum de stilo N. T. p. 75.

t) v. Lederlini Disp. de Græcor. & hebræorum ἐυφημία.

ut defunctos fato revifere queant. Id faltem certum exploratumque est, quam plurimos eosque doctiffimos ex antiquitate viros tam dubitanter atque perplexe de ftatu & conditione mortuorum effe locutos, ut de animorum immortalitate vel plane desperaverint, vel quo fe verterent in eadem afferenda, non habuerint. Non eft, quod in diverfum nos trahere patiamur iis Senecæ, Epicteti aliorumque philofophorum assertis, quibus non animæ folum immortalitatem fed ad hanc vitam quoque reditum confirmaffe videntur. Quod fi enim quæque eorum principiis reconciliamus, nihil fere his de fuorum difceffu follicitis fupereft folatii.

Pari fere modo, at difpari prorfus confilio, illud pietatis officium exequabantur primi christianæ civitatis cives, ut qui fancto pacis, concordia & amoris osculo non folum u) post confecta myfteria nec non agaparam folemnia fe fuosque animos fancte arctiusque conjungebant, fed etiam amicis fuifofpitoris nostri auxilio placide ex hac vita commigrantibus osculo dicebant Vale. Vale, inquam, non æternum illud, quod nox quædam æterna, vel ut x) Catullus ait, perpetuo dormienda, profanis extorfit hominibus: fed quod pignus quafi falutis tefteraque bonæ erat fpei, brevi futurum, ut vinculis amoris conjuncti post hanc naturæ corruptæ neceffitatem altera in vita conveniant longe feliciores. Quæ fpes Christi amicorum dulciffima, qua quem cunque instantis mortis metum vincebant, occasionem forfan Plutarcho aliisque paganis fubministravit, ut y) ἐλπίζουσ̄ tantum voca verint in christi castris militantes. Nec fperam folum fed mutuam quoque inter fe amorem fvaviffimamque animorum conjunctionem alebant moribundis cum amicis amici Christiani. Testem hujus rei audiamus Ambrosium animam Fratris in Christo morientis pie quafi legentem, qui: z) *Nihil, inquit, mihi profuit ultimos haufiffe anhelitus, nihil flatus meos inſpiraffe morienti: putabam enim,*

u) Quenstedii Antiqu. bibl. P. I. p. m. 464. itemque Hildebrandi Sacra publ. V. ecclef. p. m. 123.

x) Epigr. V. ut Ovidius mortem deliniat Epist. 14. Nox tibi, ne properes, ista perennis erit.

y) v. Heumanni Acta philof. XVII, 916. feqv. nec non quæ Brucknerus de Secta Elpiftica Miscell. Berolinenf. T. V. inferuit.

z) T. III. Orat. funebr. in fratr.

enim, quod aut tuam mortem ipse susceperim, aut meam vitam in te ipse transfunderem. O infelicia illa, sed tamen dulcia suprema osculorum pignora! o amplexus miseri, inter quos exanimum corpus obrigit, halitus supremus evanuit.

Quemadmodum vero veteres non moribundos tantum sed eos quoque votis pie nuncupatis osculisque prosequerentur, qui ex sodalitate quadam divinis auspiciis evocati discessu suo favorem illum laborum ac amicitiae nexum discindere cogebantur, quibus suis cum sodalibus ad unum idemque propositum exequendum conspirabant: ita nos quoque hoc tempore non nisi singulari amoris testificatione facta ex amplexu nostro dimittimus

JO. CHRISTIANVM WIRTHGEN

Franciscanei Misnens. Con-Rectorem longe spectatissimum, qui per quinque & quod excurrit, annos de juventute scholastica bene promeritus & summi numinis nutu & regia auctoritate Diaconus & Orator in aede Sacra Afrana constitutus ex hac Schola evocatur. Quod amoris officium virtuti ejus doctrinaeque ac studiis debitum tanto lubentius jam praestamus, quanto ardentius sui desiderium ex amicitia ejus conceptum nostris in animis post se relinquit. Ne vero ingratus discessisse videatur, Patronis ac Scholae huic ritu formulaeque solemnium pium testatur animum pietatis atque amoris Symbolo oratione habita, qua exponet:

Viros in Scholis rite docentes ad Sacrum munus in coetu christiano obeundum probe instructos paratosque accedere.

Cui viro sacra dignitate ornato provinciaque Scholastica fausto omnino abeunti Scholae nomine congratulabitur

FRIDERICVS DE ZEHMEN,

Eqv. Misn.

Juvenis, qui non solum praeclearo pietatis, morum elegantiorum atque doctrinae studio in id semper incubuit, ut Familiae splendidissimae suae, insigni aliquando sit novoque ornamento, sed qui in deliciis potissimum

num habet, publice declarare, quanti faciat præceptorum erga se studia. Aget hoc præmissa oratione latina prorsus: *de variis veterum rationibus quibus bene de se meritorum memoriam pie venerabantur.*

Adjunget se præceptori præclarissimo.

JO. GOTTLOB SAMSON,

Nickern Misn.

& probatissimis moribus & bonis litteris innutritus, cujus indefessa studia ut semper sumus exosculati: ita etiam apud nos ea cepit in ingenuis artibus incrementa, ut spem haud dubiam jure nostro alamus, fore, ut singulari parentibus dilectissimis aliquando sit solatio. Lipsiam itaque abiturus ad Sanctioris disciplinæ studia ex colenda nobis scholæque ultimum dicet vale oratione latina, qua *veterum ritum pedes numinum principumque exosculantium exponet.*

Ejus discessus ut faustus sit ac fortunatus

CHRISTOPH. DANIEL GÜNTHERVS,

Zscheyla Misn.

ob animi probitatem morumque elegantiam nobis carus omnibusque commendabilis amico abeunti bona verba dicet, lingua patria, oratione scilicet, qua *de osculo pedum pontificis romani* aget.

Quibus votis ut gratia sua aspirare velit summum numen, ardentem precamur. Vos vero, quotquot bonis literis ac Scholæ huic patrocinamini, reverenter humaniterque oramus, ut honorifica præsentia Vestra dignari nos, ne gravemini. Misenæ pridie Nonar.

Septembr. A. R. S. MDCCCLII.



Coll. Diss. A. 20, misc. 43